Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Sammelhandschrift, Predigerorden betreffend – Nürnberg, STN, Cent. IV, 75

Signatur: Cent. IV, 75

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

quidam uero ducebantur ad campum et instrumentis ferreis captiuabantur ut se re dimerent propter ut a quibusdam ipsorum qui liberati sunt habui/ quicumque sanctam virginem Caterinam inuocauerunt inuocabiliter sunt a vinculis liberati nullo ipsos sumante pretium et salui peruenerunt ad urbem/ unde retulit michi unus ex eis quod absque quacumque mora mox ut ipsam inuocauit reperit se a vinculis liberatum quibus ad quandam arborem fuerat ligatus ab hostibus/ Reuertensque ad urbem ipsam virginem inuocando neminem reperit qui ei aliquod prestaret impedimentum/ quod cum nos pro deuocione referens/ rursum addebat quod alii aliique gratiam eandem receperant meritis sancte virginis Caterine/ Sicut autem de hiis generibus signorum sic et de pluribus aliis me recolo percepisse a multis sed senescente memoria non possum particulariter recordari de omnibus aliis/ Oro autem lectorem ut deuota mente non fastidiendo propter huius libri pluralitatem nec propter stili ruditatem flores et fructus colligat ad suam utilitatem frigidos semper et indeuotos ac malignos detractores uitando sicut uenenum pestiferum/ Ceterum finem hic totius operis facere non quod de paciencia eius ipsa ecclesia militans plus in sanctis notat quam signa/ iuxta doctrinam beati gregorii/ qui uirtutem paciencie signis et miraculis repputauit maiorem/ Unum intendo dictare capitulum ipsa impetrante ac concedente sponso suo eterno qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum Amen

De forti paciencia quam hec sancta uirgo a pueritia etate usque ad mortem inclusiue ostendit manifeste per quam clare probatur ipsam dignam esse nomine sanctitatis in ecclesia sancta dei militante ex quo tot gloriosis triumphis decoratur in ecclesia triumphante Capitulum ultimum in quo epylogatur quod contentum est supra propter fastidiosos lectores ut si quis non potest totam legendam legere uel habere hoc capitulo habito sibi sufficiat quod tota legenda

Sentencia est prime ueritatis quod propter meam salutem carnem assumpsit/ quod hii qui in corde bono et optimo uerbum retinent fructum afferunt in paciencia/ et ut paulo supra tractatum est in libro dyalogorum dicit Gregorius/ ego uirtutem paciencie signis et miraculis maiorem puto/ Et apostolus Jacobus in canonica ~~signa et miracula maiorem~~ pacienciam dicit habere opus perfectum/ non quia sit ipsa summa seu regina uirtutum sed quia est comes indiuidua illius uirtutis que teste apostolo maior aliis uirtutibus iudicatur aut excedit/ Hec est caritas/ sine qua nichil prodest homini quecumque alia uirtus/ de qua idem apostolus eam describendo inquit/ quod paciens est quod benigna est/ non emulatur nec irritat/ nec querit que sua sunt/ Hac de causa sancta mater ecclesia cum uitam sanctorum in beatorum cathalago describendorum examinat plus ad uirtuosos actus quam ad signorum seu miraculorum operacionem attendit duplici racione/ Primo quod plures mali fecerunt et facient signa que apparent miracula licet non sint/ sicut magi pharaonis/ Symon magus/ et antichristus cum suis faciet tempore suo/ Secundo quod quamquam aliqui causa uirtute diuina fecerunt miracula qui fuerunt finaliter reprobati sicut Judas et illi de quibus saluator in euangelio dicit quod in die iudicii dicent ei/ nonne in nomine tuo signa fecimus

Nota